



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Theologicae Quibus Examinantur Praeliminaria
Per quae Patres Societatis & alii conati fuerunt sese
excusare ab exhibitione suarum Sententiarum, ad quam
per contractum de Conferentia ineunda ...**

Huygens, Gommarus

Lovanii, [1685?]


urn:nbn:de:hbz:466:1-40598

Th. 2170.

Q. IV

3.

THE FLORE MORALIS
PRINCIPALIA
APPENDIX
PRINCIPALIA PROPOSITIONES




T H E S E S
THEOLOGICÆ
QUIBUS EXAMINANTUR
PRÆLIMINARIA

Per quæ Patres Societatis & alii conati fuerunt sese excu-
sare ab exhibitione suarum Sententiarum, ad quam per
contractum de Conferentia ineunda sese obstrinxerant.

Q U A S
P R Æ S I D E
EXIMIO VIRO D. AC MAGISTRO NOSTRO
GUMMARO HUYGENS
L Y R A N O,
D E F E N D E T
LAURENTIUS LAURENTII Vervienfis.

In Collegio ADRIANI VI. Pontificis die 15. Septemb. 1685.



L O V A N I I,
Typis GUILIELMI STRYCKWANT sub aurea Lampade

T H E S E
T H E O L O G I C A E
Q U I B U S E X A M I N A N T U R
P R A E L I M I N A R I A


Per quos Partes Societatis & alii conati fuerunt se excu-
sare ab exhibenda huius scientiarum, ad quam per
consuetudinem de Consuetudine in eadem se obtulerant.

P R A E S I D E
EXIMIO VIRO D. M. MAGISTRO NOSTRO
G U M M A R O H U Y G E N S
L Y R A N O
D E C E N T O
L A U R E N T I U S L A U R E N T I V O R I C H I I S

In Collegio Aulico Vindobonensi die 15. Septembris 1687.



L O N D O N
The Curious & Rarest of the World



P R Æ F A T I O
A D
L E C T O R E M.

Die 27. Febr. hujus anni inter R. P. DE P A P E Rectorem Collegii Societatis I E S V Bruxellis, & Doctorem HUYGENS, coram Illustrissimo Domino Archi-episcopo Mechliniensi Bruxellis, initus fuit contractus pro instituendâ collatione super doctrinis utrimq; controversis.

Contractus ita sonat : Pars utraque scripto tradat Illustrissimo Domino Archi-Episcopo illas suas sententias, quas à parte altera novit impugnari, quæ deindè per Illustrissimum Dominum alteri parti communicabuntur; eo fine, ut hæc contra réplacet : postmodum pars utraque in defensionem suarum sententiarum duplicet; & postea, si opus, procedatur ad quadruplicam; & denique ad collationem verbalem. Quibus omnibus peractis, si ad concordiam nondum fuerit ventum, missis actis ad S. Sedem, ultima illinc decisio exspectanda erit. *Additum fuit* : utrique parti fore licitum, interrogare alteram de Articulis non expressis, num eos teneat : sique pars interrogata Articulos petitos à se teneri responderit; ei incumbet eisdem cum aliis scripto traditis sustinere ac defendere; si verò responderit illos à se non teneri, nulla ei super istis Articulis moveri poterit quæstio aut molestia.

Quantum Lovanienses hunc contractum implere conati sunt; tantum Patres studuerunt illum evertere : hinc quam propensi fuerunt Lovanienses, ut doctrina sua Articulos traderent, tam inviti exstiterunt Patres ne suos traderent : quod ut equidem aliquo colore excusarent, ab initio, quo res hac incepta est, ad hoc usque tempus, per quæstiones quasdam præliminares pergunt querere ambages; quas hisce Thesibus breviter detegemus, ostendendo, quod præliminares eorum quæstiones sint eo fine à Patribus intrusa, ut quocumque colore excusent quod doctrina sua articulos tradere detrectent.

Cum verò Patres vim singularem tribuant præliminari suo tertio, quo exigunt à nobis quoddam juramentum, hoc præ cæteris hisce Thesibus discutiemus.

CON-

CONCLUSIO PRIMA.

Non nisi meras ambages continent quatuor Patrum præliminaria.

§. 1.

Istud specialiter ostenditur de præliminari primo, juxta quod collatio de materiis præcipuè controversis, habenda foret supersedendo à materiis præcipuè controversis.

Primum præliminare ita expriment: *Articuli quidam controversi, per Majestatem Regiam, atque illius nomine, commissi sunt S. Sedis judicio, jam pridem inchoato, & promotum non parum. Quoniam illi jam ad curiam illam pervenerunt, ad quam reliqua inter nos controversenda pro decisione mitti debebunt, illis omnino in dicta conferentia supersedendum erit.*

Articuli, quorum in præliminari fit mentio, sunt 96. Propositiones, quas R. P. Duffy Minorita, ab hinc aliquot annis, Romæ exhibuit, ut ibidem Lovanienses accusaret, potissimum circa doctrinam de gratia per se efficaci, de ignorantia juris naturæ, de actibus referendis in Deum, de dilatione Absolutionis: patet proinde ex materiis jam expressis, quod illis omnibus, in quibus Lovanienses maximè culpantur, Patres in conferentia censeant omnino supersedendum: sunt enim ipsa quatuor Capita ad quæ doctrinam nostram controversam reduximus in illo ipso scripto, quo eam exhibuimus Illustrissimo Domino Archiepiscopo.

Porro, si non liceat in conferentia agere de istis doctrinis; quomodo ergo Patres sincerè volunt nobiscum conferre de doctrinis nos inter & ipsos Controversis? Vel si velint sincerè conferre de doctrinis controversis; quâ sinceritate volunt supersederi à doctrinis per Patrem DUFFY exhibitis? Nunquid hinc evidens est, quod unico isto præliminari manente, nunquam poterit collatio deduci ad effectum? Ad quid ergo servire posset, quod Patres pro concordia jam tam ardentè sese petere fingunt; ut nimirum præsteretur juramentum juxta præliminare tertium? Demus enim illud esse præstitum, quomodo poterit vel tunc haberi collatio de doctrinis controversis; cum nefas esse sentiant in collatione ista tractare doctrinas de gratia, de ignorantia juris naturæ, de actibus referendis in Deum, de dilatione Absolutionis, per Patrem DUFFY Romæ accusatas, id est, nefas censent in collatione de materiis præcipuè controversis, tractare materias præcipuè controversas.

§. 2.

In secundo præliminari non requirunt quidem Patres quippiam, necessariò eversum totius contractus, sicut in primo; sed tamen tendere iterum videntur, ut ad sententiarum suarum exhibitionem venire non debeant.

Secundum præliminare petit, ut D. HUYGENS exhibeat per procuratorium sufficiens, quorum nomine in conferentia sit acturus; deinde ut illi subscripto nomine expriment, an in omnem doctrinam ab eo proponendam consentiant. Huic conati sumus satisfacere, ostendendo subscriptionem illorum sex Theologorum, quos præ cæteris Patres culpæ solent; addidimus, si hi non sufficerent, nos alios plures rogaturos, ut & ipsi subscriberent; quibus Patres DE PAPE & LE DENT responderunt, à parte sua acquiescendum videri. Hæc refert etiam ipse Anti-thesium Author, & tamen hic pergit objicere, quod collegium strictæ Facultatis Theologicæ non subscripserit. Ad hæc ego, etiamsi subscripserint, quin addo, etiamsi etiam Anti-thesium Author à parte sua acquiescendum jam saltem

saltem censeret, posset eodem jure quivis alius Societ. Jesu Theologus, aut saltem Professor, iterum objicere, quod hic illeve Theologorum Lovaniensium (quos ipsi Patres ad nunquam subscribendum inducere possent) necdum subscripsisset.

Præterea ad quid omnes illæ tergiversationes? Neque enim volebamus conferentiam instituire contra personas, sed contra doctrinas erroneas, sive ab his, sive ab illis tenerentur. Igitur manifestum est, hoc præliminare adjectum non esse, nisi ut collationi impedimentum & mora inutilis injiceretur; & potissimum ut Patres suas sententias nunquam exhibere tenerentur.

§. 3.

Ostenditur tertium præliminare duplici ex capite valere Patribus, ut suas sententias non tradant, nisi illi foret satisfactum.

Mirè insultant nobis Patres, quod juramentum, quale ipsi in tertio præliminari exigunt, præstare nolimus; eo præstito, *pax erit* inquit, & *concordia*. Si ita est, nunquid liberrimè poterunt iterum se excusare Patres à traditione suorum Articulorum? ut quid enim illos tradent, dum jam erit *pax* & *concordia*?

Verùm alia hic latet contradictionis implicancia: etenim non solum his juramentis, sed centum aliis per nos præstitis, juxta præliminare primum non licebit conferre de gratia, de ignorantia juris naturæ, de actibus referendis in Deum, de dilatione Absolutionis, id est, de præcipuis materiis nos inter & ipsos controversis: nunquam ergò tenebuntur exhibere suas sententias, cum collatio de materiis præcipuè controversis haberi nunquam possit, superfedendo à materiis præcipuè controversis.

Cæterum quia præliminare tertium multis titulis est directissimè oppositum paci & concordia, in quam conferentia veluti scopum collimat, integrâ Conclusionem de illo post agendum censemus.

§. 4.

Quartum præliminare, quemadmodum & anteriora, eò quoque tendere videtur ut Patres nunquam exhibeant suas sententias.

In quarto præliminari Patres petunt responderi ad omnia illa, quæ D. DU BOIS jam à medio anno voce in Lectionibus publicis, & scripto per Theses Theologicas, in materia Pœnitentiæ & annexis objecit adversus doctrinam à me traditam.

Non uno ex capite colligi videtur, quod Patres velint his omnibus satisfactum esse priusquam doctrinæ suæ Articulos tradant; quorsum enim aliàs hæc peterent ante traditionem suorum Articulorum; quandoquidem post illam liberrimum illis futurum sit, sive ex iis quæ vir ille, sive ex istis quæ alius quicumque dixit aut scripsit, quod lubet, nobis objicere, aut etiam illorum occasione interrogare an hoc illudve teneamus?

Jam verò, si omnibus quæ ille intra medium annum dixit aut scripsit, oporteat prius esse satisfactum; quo tandem tempore Patres tradent suas sententias? Maximè cum ab illorum, vel prædicti viri judicio, pendeat, an reverà tot dictis aut scriptis satisfactum jam censeant.

Ex quo rursus conficitur, non alio fine positum esse à Patribus præliminare quartum, quam ut ad traditionem doctrinæ suæ nunquam teneantur.

Ostenditur, qua causa se quatuor praeliminaribus, velut totidem propugnaculis, munierint Patres, ut traditionem suorum Articulorum, quocumque eventu, declinarent.

Quatuor velut munimenta Lovaniensibus opposuerunt Patres, quæ non oppugnari solum, sed & expugnari necesse foret, priusquam possent ad tradendam doctrinam suam compelli.

Primum illorum est omnino inexpugnabile, quandoquidem implicet contradictionem, ut collatio instituatur super sententiis nos inter & ipsos præcipue controversis, & simul non instituatur super iis de quibus per Patrem DUFFY accusamur: cum sententiæ inter nos præcipue controversæ, sint ipsa quatuor doctrinæ nostræ capita de Gratia, de Ignorantia juris naturæ, de actibus in Deum referendis, de dilatione absolutionis in quibus apud S. Sedem P. DUFFY nos accusat. Quamdiu ergo insistent huic præliminari, impossibile erit ut unquam cogantur tradere suas sententias, cum impossibilis sit collatio de materiis præcipue controversis, supersedendo à materiis præcipue controversis.

Sed ponamus, quod ab hoc præliminari Patres, vel ratione, vel autoritate inducti recedant; facillimè sese tueri poterunt per secundum, causando quod hic illeve Lovaniensium sententiis à nobis traditis nondum subscripserit. Sed quid ubi Lovanienses omnes subscripserint?

Tertium molici sunt propugnaculum, juramentum, inquam, quod mutant ac mitigant in postremis suis Thesisibus: sed nunquid pari ratione vigesies aut centies, si illis lubet, mutare poterunt, exigendo secundum, postquam fuerit satisfactum primo, atque ita in infinitum?

Deinde ut centena juramenta à nobis præstita fuerint, necdum cogentur tradere suas sententias dummodò pergant insistere præliminaribus anterioribus, & potissimum primo.

Denique post hæc omnia superest propugnaculum quartum, quo tamdiu poterunt sententiarum exhibitionem differre, quoadusque dicere poterunt, huic illive objectioni viri antenominati necdum esse satisfactum.

Cautissimè ergò se hisce præliminaribus munierunt Patres, ut traditionem suorum Articulorum declinarent.

Vin adhuc clarius videre quam firmiter Patres statuerint doctrinam suam lūci non ostendere? expende dilemmata sequentia.

Vel primo præliminari satisfiet, vel non: si non satisfiat; doctrinas suas non tradent, quia statuerunt non prius eas tradere, quam illi satisfactum fuerit: si tamen fuerit ei satisfactum, nec tunc tradent; quia præliminare illud vetat per collationem agere de gratia, de ignorantia, de actibus referendis in Deum & de dilatione Absolutionis, id est, de omnibus præcipuis capitibus doctrinæ Controversæ; igitur Patres statuerunt nullo casu tradere suas sententias.

Secundo præliminari rursus vel non satisfiet, & tunc non tradent suas doctrinas; vel ei satisfiet, & nec tunc easdem tradent, quia obstabit præliminare primum, quod vetat agere de præcipuis Controversiæ punctis.

Simili modo ostendi posset circa tertium & quartum præliminare.

Denique alio dilemmate, quo simul omnia involvuntur, ostenditur Patres nolle doctrinæ suæ Articulos exhibere.

Vel præliminaribus omnibus etiam primo (quod ob suam cum collatione implicantiā rotius collationis est eversum) satisfiet, vel non satisfiet: si satisfiat, *pax erit & concordia* ut ipsi dicunt disp. Theol. pag. 3. adeoque opus non erit doctrinam exhibere, quo pax
&

& concordia ineatur : si non satisfiat , *constantissime* (ut ibidem) edicunt se nolle doctrinæ suæ Articulos proponere. Concludo : ergò Patres nunquam serió voluerunt doctrinæ suæ Articulos proponere , siue præliminaribus , etiam omnibus , satisfieret , siue non satisfieret.

CONCLUSIO SECUNDA.

Ex ipsis circumstantiis ostenditur quantâ temeritate Patres in tertio suo præliminari exigant à Lovaniensibus quoddam juramentum.

HActenus omninò cavimus , ne occasione præliminaris tertii quidpiam diceremus quod Patres vel in minimo posset offendere : nunc vero cum munus , in quo per divinam providentiam constituti sumus , cogat ut à nobis repellamus atras illas siue notas siue censuras , quibus de hæresi ad minus suspectos nos facere præsumunt Patres , decrevimus tantâ necessitate compulsi , innocentiam nostram coram toto mundo defendere , permisivè , ut aiunt , nos habendo ad offensam quam Patres verosimiliter accipient , dum primùm ostendemus , quod Patres in hoc usurpent potestatem nullatenus sibi competentem : deinde quod exigant juramentum , quale Pontificum aut Episcoporum nemo hæctenus exegit , illudve mutent ac mitigent pro libitu. Præterea quod frustra mundo persuadeant post quæstiones illas de gratia non superesse alias. Insuper quod deducere nos conentur ad quæstiones nunquam terminandas , quarum occasione explicantur tria nostra dogmata de gratia , & unâ ostenditur Molinistarum politica. Denique quod schisma redolet , quosdam à sua communione velle excludere ; quia nolunt in materia Religionis jurare secundum formam à Patribus istis , id est , privatis personis præscriptam.

§. 1.

Expenditur circumstantia quis petat juramentum , de quo quæstio.

Per tertium præliminare , ut fidem nostram profiteamur , exigunt Patres illi quoddam juramentum , ubi ipsis , utpote personis privatis , nullo modo siue ordinariâ , siue delegatâ potestate , competit ista exigendi facultas.

Nunquid eodem jure quilibet alius poterit à quolibet simile juramentum , velut fidei professionem , exigere ? & hinc quæ turbatio quam injustè enim hic illeve talem fidei professionem exigeret , tam justè alius resisteret : nil ergò perinde est paci & concordia , quam per collationem intendebamus , inimicum ; quam quod Patres Jesuitæ & alii ad eorum exemplum sine ulla potestate ordinaria vel delegata , hunc illumve pro libitu , per ejusmodi juramenta inquietabunt , vexabuntque. An forte hæc in re major potestas competit Jesuitis quam aliis quibuscumque ? An ipsi minus connumerandi personis privatis quam alii ? Unde illa nova autoritas ? A quo tempore in Ecclesia cœpit erigi istud Jesuitarum tribunal ? Unde nobis novi illi Judices fidei nostræ , neque à summis Pontificibus , neque ab Episcopis constituti ? Quid ? Quod illi majorem sibi videantur arrogare auctoritatem , quam agnoscant in Episcopis ? Quibus prætendunt esse illicitum audire doctrinam quæ in illorum Diocesi traditur , ejusdem Articulos legere , excipere utriusque partis responsa ac replicas , denique testem agere omnium istorum , & pacis mediatorem , ne eo quidem sine , ut si ad concordiam ventum non fuerit , omnia ad S. Sedem transmittant ?

Noverint ergò Patres , quod neque illud neque aliud quodcumque juramentum ad ipsorum petitionem præstando , agnoscemus inauditam illam privatorum hominum præsumptionem.

§. 2. *Expenditur*

Expenditur circumstantia quid, examinando quodam iuramentum petatur.

Juramentum quod veluti fidei professionem Patres exigunt, tale est, ut hactenus à nulla natione per Pontifices aut Episcopos petatum fuerit: non ab Italis, non ab Hispanis, non à Germanis, non à Gallis, &c. adeoque nunquam à Belgis, nisi hac unicâ occasione quâ Patres Jesuitæ, id est, homines privati censuerint illud à nobis extorquendum; ut vel hoc colore excusent, quod doctrinæ suæ Articulos exhibere detrectent, prout per contractum sæpius à nobis expressum polliciti fuerunt.

Juramentum quod à nobis præstari volunt, ut alia omittamus, extendunt ad omnia quæ ab anno 1641. congregatio generalis S. R. & universalis inquisitionis damnavit, vel prohibuit, cum hac tamen limitatione occasione eorundem vel similium *Controversiarum*, de gratia scilicet. Hanc limitationem in vasserrimis illis præliminaribus expressam reperimus, verum cum nesciamus an casu, an studio ista limitatio sit addita, liceat nobis Patres istos interrogare, an ipsis minoris valeant condemnationes dictæ Inquisitionis in materia practica seu morali, quam in speculativa de gratia? Exempli causa, an minoris valeat condemnatio libri *Guimines* sui *Arvadæi*, *Catechismi* sui *Chinensis*, *Diatriba* Patris *Estrix*, & similium, quàm librorum quorundam tractantium de gratia? Sed fortè hæc limitatio utilis creditur, ut Patribus licitum permaneat librorum suorum prohibitionem extenuare, dicendo ex. gr. prout non ita pridem in publica disputatione à quodam inter illos non parvæ notæ dictum est, prohibitionem sui libri esse factam *ob præpotentem factionem Iansenistarum*.

Notatu dignum est, non esse unum & idem iuramentum quod Patres exigunt: aliud namque petierunt in præliminaribus, aliud in Thesibus postremis hac occasione editis, petituri, postquam anterioribus fuerit satisfactum, vicena aut centena alia si ipsis libuerit.

Dicent fortassis Patres se, quod iuramentum attinet, forè contentos illo quod in sola Gallia petitam fuit: verum, præterquam quod ipsis, utpote hominibus privatis, non magis competat potestas illud exigendi à Belgis quam ab Italis, Hispanis, Germanis &c. dicimus hoc pacto rursus turbatum iri illam pacem quam Ecclesiæ dedit Clemens IX. Accedunt & alia incommoda, quæ in quarto §. latius expendemus.

§. 3.

Patres frustra mundo persuadent, quod si iuramentum, quale in præliminaribus exegerunt, esset præstitum, non superessent quæstiones quæ pacem & concordiam turbarent.

Anti-thesium, Apologiæ, & Disputationis Theologicæ Author non uno loco conatur mundo persuadere, quod si præstiterimus iuramentum, quale exigunt, nulla supererit nos inter & illos controversia. Verum, Patres, contra dico, quod vel in sola materia gratiæ, de sensu scilicet ob quem quinque Propositiones dicuntur esse condemnatæ, quam plurimæ manebunt controversiæ: patebit id clarè ex tanta super hoc puncto sententiarum multitudine quam sequenti §. ostendemus.

Deindè in Gallia præstitum fuit non iuramentum illud quod in præliminari petitis (nam illud nullus unquam præstitit) sed aliud quoddam, quod etiam à nobis petitis, & tamen longe plures ibi pergitis excitare contentiones super materia gratiæ, quam ullibi locorum. Testes erunt, ut alios omittamus, Patres Oratoriû, Benedictini Congregationis S. Mauri, Canonici Regulares S. Genovevæ &c.

Seq

Sed demus vobis contrà manifestam veritatem, quod quæstiones de gratia inde non au-
gerentur, verum etiam diminuerentur & sopirentur; nunquid vos inter & nos adhuc
manebunt quæstiones de regula morum, de fine, sive scopo humanæ vitæ & cujuslibet
actionis nostræ, item de administratione Sacramenti Pœnitentiæ, adeoque de infinitis
ferè conclusionibus practicis, quæ ex istis veluti principiis sunt consecutariæ?

Nam si regula morum debeat esse lex æterna sive ipse Deus, ut nos dicimus, necesse est,
ut pæne innumera, quia fiunt contra legem æternam, nos dicamus esse illicita, quæ Mo-
linistæ censebunt licita, dum ipsis pro regula morum passim sufficit quævis opinio, quam
probabilem dicunt: nec refert quod eorum aliqui requirant, ut sit opinio probabilior,
quia secundum Apologistam, quod ex Anterioribus ejus Thesibus patet, *sua cuique opinio
est probabilior, aut verè probabilis non est.*

Non refert etiam, quod quidam illorum pro regula morum requirant, ut opinio sit sua:
nam unus eorum, quem permagni faciunt Molinistæ, docet quod *qui ex opinione præfor-
mata procedunt existimantes sibi licitum esse sequi opinionem alienam etiam minus probabilem, eo
ipso per reflexum judicium sequantur practicè propriam opinionem.* Ita GUILIELMUS HERINGIUS
p. 2. disp. 4. quæst. 3. num. 29. quotquot proinde contra propriam etiam opinionem
secuti fuerunt opiniones ab Alexandro VII. & Innocentio XI. condemnatas, aut alias
quorumcumque Casuistarum, secundum ista principia rectè egerint; qui tamen juxta
principia nostra in his omnibus, & infinitis aliis, hoc ipso peccant quo in istis agunt
contra legem æternam. Non foret ergo pax, etsi cessarent quæstiones de gratia.

Præterea secundum nos, venialiter peccatur, quoties actio aliqua deliberatè exercita-
non refertur in Deum saltem virtualiter: mortaliter verò peccatur, etiam secundum nos,
dum Deus non est finis ultimus noster simpliciter sive ipsius agentis, id est, dum amore
cæteris amoribus nostris prædominante amatur creatura aliqua qualiscumque. In his vero
nullum peccatum agnoscunt illi, quibus sufficit Deum aliquoties in anno diligere; ut
proinde secundum ipsos, exceptâ aliquâ horulæ portione anni, aut si plus velint, cujuslibet
mensis, vel si adhuc amplius, hebdomadæ cujuslibet, liceat agere ex cupiditate.
(quod secundum nos semper est saltem veniale peccatum) & pro fine ultimo simpliciter,
id est, ipsius agentis, habere creaturam, quod censemus esse peccatum mortale. Frustra
proinde dicitur futura pax, si ultra non disputetur de gratia.

Quod administrationem Sacramenti Pœnitentiæ attinet, quot clamoribus & perturba-
tionibus Belgium impleverunt Patres occasione *Methodi remittendi & retinendi Peccata*,
item occasione aliorum librorum, scriptorum aut sententiarum, quibus Lovanienses do-
cuerunt his illisve casibus absolutionem esse differendam.

Nihil ergo magis à veritate alienum, quam quod controversiæ Theologicæ nos inter &
Patres istos, ubi juramentum quod exigunt præstitum fuerit, cessabunt.

Et sanè nimis frequenter antehac conquesti sunt hi Patres de perturbationibus, quæ
occasione materiarum jam allegatarum in Belgio ortæ sunt; quam ut modò illis credatur,
dum omnes controversias ad suum præliminare tertium revocant.

§. 4.

Examinatur finis ad quem itur per istas Patrum Machinationes.

Quod nos attinet, pacis causâ perlubenter abstinemus à rixosis quæstionibus de sensu
ob quem quinque propositiones sunt condemnatæ, hinc Lovanienses nun-
quam primi ejusmodi contentiones incipiunt; & quamvis à Molinistis provocati sæpius,
semper tamen quamdiu possunt ejusmodi contentiones declinant, prout & nos fecimus
tories

toties, non quia deest quod respondeamus, sed quia scimus S. Sedi ejusmodi contentiones displicere: sed cum silentium nostrum vix aliter quam hæresis professionem Apologista nunc interpretetur, cogimur in quæstiones odiosissimas intrare: prius tamen Patres monendos censemus, quod si quemadmodum ipsi volunt, in viam illam contentiosam secuti illos fuerimus; veniendum erit ad quæstiones fortè antè diem generalis judicii per nos non terminandas.

Nam ut omittam quod super hoc puncto nullatenus conveniat inter Molinistas eorumque sequaces ab una parte, & Thomistas cum discipulis Aug. ab altera parte, nequidem ipsi Molinistæ hic inter se consentiunt: siquidem plurimi eorum censent in istis quinque Propositionibus condemnatam esse doctrinam de necessitate gratiæ per se efficaci ad quemlibet actum salutarem in hoc statu exercendum. *Quisquis gratiam efficacem, inquit unus, ita necessariam existimas, ut sine ea opus bonum fieri, aut tentatio superari non possit, agnosce te cum eodem (Jansenio) impiè, blasphemè, & hæreticè sentire.* Ita anno 1678. Pater DUFFY pro Molinistis adversus Lovaniensium sententias in urbem deputatus. Ejusdem sententiæ videtur fuisse *Theophilus Raynaudus & P. Annatus* adhuc juvenis (quem *Contentorius Molinistarum partium caput & Rectorem nominat*) ambo siquidem existimarunt, quod Thomistæ & Calvinistæ hac in parte consentirent, quodque nonnisi verbo tenus & penes loquendi modum discrepent: sicut proinde sensus Calvini, ita & Thomistarum in quinque Propositionibus secundum Authores istos dicitur esse condemnatus.

Alii contra, etiam Molinistæ sentiunt Thomistarum doctrinam de necessitate gratiæ per se efficaci non esse in quinque Propositionibus condemnatam: hos inter sunt Patres Jesuitæ, qui hodie in collegio suo Lovaniensi Theologiam docent; & hi quidem à *P. Annato* adhuc juvene recedendum statuunt, & potius accedendum ad illum jam senem: siquidem hic in suo opere quod vocat *La conduite de l'Eglise & du Roy* octodecim discrimina Thomistas inter & Calvinistas (quibus Jansenianos adjungit) accuratè prosequitur: censet proinde *Annatus* senex quod ob octodecim rationes sensus in quinque Propositionibus condemnatus non sit Thomistarum de gratia per se efficaci. Quis ergo secundum hos Molinistas ille sensus Jansenii, ob quem quinque Propositiones sunt condemnatæ? Variant hic iterum: tres sensus innuit *Annatus* his verbis; *quem invenient Janseniani inter Thomistas qui concedat ita necessarium consensum quem voluntas præbet motioni gratiæ quamdiu illa inhaeret, quomodo necessarius est amor beatificus, quamdiu durat visio? Quem invenient qui dixerit voluntatem divinam gratiæ prædeterminatam carere proxima ad dissentendam potentia? Quem dabunt qui distinctionem sensus compositi & divisi sic interpretetur ut sensus sit voluntatem à Deo motam posse dissentire, quando illa motio abierit, & advenit alia?*

Quidam Professorum Societ. qui etiamnum in Collegio Lovaniensi Theologiam docet, dicit in Jansenio condemnatum esse, quod delectationes victrices secundum quas operemur necesse sit, sint indeliberatæ. Alius eorum etsi sæpè rogatus ut exprimeret determinatè, ut aiunt, sensum condemnatum, nunquam ausus est eum exprimere.

Ex quibus licet concludere, si plures Molinistæ super hoc puncto examinarentur, incertum esse, an sensuum numerus non excederet numerum sentientium.

Neque soli Molinistæ, sed etiam defensores gratiæ per se efficaci hic variant: alium namque assignare solent Thomistæ, alium Augustini Discipuli: & hi rursus, ut Lovanii notissimum est, non omnes consentiunt.

Famosus ille *Annatus* dicit, usitatam esse dissidentium cogitationum pugnam in Janseniana Theologia: non omnis proinde sensus Jansenii poterit dici condemnatus. Alius contra ejusdem Societ. Lovanii Professor censet omnem Jansenii sensum proprium & legitimum in quinque Propositionibus esse damnatum.

Ex his omnibus perspicuum est, quod contentiones de sensu ab Authore intento ad
quas

quas nos duceret, modò sequi vellemus, præliminare tertium, sint ejusmodi, ut meritò de illis pronuntiaretur, quod ante diem judicii non sint per nos terminandæ: cùm aliter de eo sentiant defensores gratiæ per se efficaciæ, aliter Molinistæ; aliter hi, aliter isti Molinistæ; aliter Annatus juvenis; aliter Annatus senex; aliter Thomistæ, aliter Augustini discipuli & postremorum aliter unus, aliter alius.

Quomodò proindè poterit super puncto ad eò controverso nos inter & Patres Societ. convenire? Nisi fortassis Apologista præsumat se inter centenas fortè sensuum varietates posse infallibiliter aliquid certi definire, atque hoc pacto Lovaniensibus legem ponere, quod hunc determinatè sensum, quem ipse ex tam multis in favorem Molinismi sui eligere voluerit, oporteat ipsos amplectari, & veluti fidei Articulum, vi juramenti à se suisque extorti, constanter tenere; & hoc rursùs quomodò consistit cum doctrina capituli Molinistarum Annati, qui non dubitavit asserere, usitatam esse dissidentium cogitationum pugnam in Janseniana Theologia? An fortè Apologista censet quòd contradictorias assertiones Sedes Apostolica proscripserit? En ambages inextricabiles.

Non potest proindè, uti Patres existimant, vel existimare se fingunt, hâc viâ, quâ nos ducere volunt ad sensum ab Authore intentum perveniri ad unitatem & pacem, sed potius ad divisiones & quæstiones propemodum infinitas.

§. 5.

Explicatur Lovaniensium sententia de gratia, & unâ ostenditur quod non nisi crassissimo errore, aut fide pessimâ Lovanienses possint in materia gratiæ vocari in suspicionem hæreseos.

TRia sunt principalia dogmata nostra de gratia. Primum quod in hoc statu naturæ lapsæ ad singulos actus verè bonos ac salutares requiratur gratia per se efficax; quodque omnis gratia Christi sit per se efficax, respectu alicujus saltem initialis boni morûs. Secundum, quod gratia in statu innocentiae Angelo & homini solum dederit posse perseverare si vellent, non vero ipsum velle & perseverare. Tertium, quod in hoc statu naturæ lapsæ certa aliqua gratia possit quemdam effectum non habere in hominibus obduratis, ita ut talem effectum habeat in illis, qui propter gratias interiores, vel gratuitam externam protectionem, sunt minus duri: Et similiter possit quemdam effectum non habere in peccatoribus, ita ut illum habeat in hominibus justis, qui per interiora dona Spiritûs Sancti, ut loquitur S. Thomas, sunt magis mobiles à Spiritu S.

Clarum est quod nullus possit vel suspicari, quod propter tertium dogma simus suspecti de sensu in quinque propositionibus condemnato.

Nec minus clarum est, quod propter secundum dogma non possimus de illo sensu esse suspecti: & tamen, quod stupendum, Apologista in anterioribus quibusdam Thesisibus, istud mundo hactenus inauditum, ausus est in lucem protrudere. Sed quæ consequentiæ species: *gratia in statu innocentiae Angelo & homini dedit posse perseverare, si vellent, non verò ipsum perseverare, ergo interiori gratia in statu natura lapsæ nunquam resistitur?* Nam antecedens loquitur de statu innocentiae, & consequens, quod inde inferre vult, agit de statu naturæ lapsæ. Antecedens admittit in statu naturæ integræ omnem illam resistantiam gratiæ, quam Molinistarum maximus vellet admitti: consequens apertè negat interiori gratiæ unquam resisti: ut proinde consequentia, quam virtualiter præterdit Apologista, non habeat plus verisimilitudinis quam hæc: *in statu natura integræ interiori gratia resistitur, ergo in statu natura lapsæ interiori gratia non resistitur.*

Tædet evidentissimis istis falsitatibus refellendis diutius inhærere. Superest ut ostendamus,

mus, propter primum dogma nonnisi ex errore crassissimo, aut fide pessimâ posse nos in suspicionem hæresis vocari. Nam secundum nos libertas in eo consistit, quod voluntas ex advertentia rationis semetipsam determinet ad agendum, quodque, quò major est advertentia rationis, majorque voluntatis semetipsam moventis determinatio, eò major fit libertas; adeòque ubi Deus magis illuminat, magisque voluntatem movet ut se determinet, major rursus fit libertas.

Hinc dicimus, Deo per omnipotentiam suam supernaturaliter, efficaciter & immediatè voluntatem, ut voluntas est, movente ad bonum, nullatenus libertatem lædi, sed potius roborari. Consonant Thomistæ, nam THOMAS LEMOS lib. 4. parte 2. tract. 4. c. 12. num. 144. sic ait: *Est auxilium tale, quod ut venit à Deo, independentè ab humana & mediâ præscientia veras tribuit animæ vires, verèque efficit vi & energiâ suâ, ut arbitrium eidem infallibiter præbent assensum, ita ut per talem efficaciam gratia sua potenter atque suaviter sibi subdat arbitrium, & activè, verè & propriè sibi faciat consentire.* Consentiunt PP. Prædicatores anno 1668. 25. Aprilis Lovanii Congregati in Capitulo Provinciali, quorum hæc sunt verba: *Gratia divina omnem suam efficaciam habet ab omnipotentia Dei.....facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, agit in cordibus hominum motum voluntatis eorum, reluctantibus studium virtutis immittit per subministracionem spiritus, & operatur in nobis bonas etiam voluntates, immutat, inflectit, inclinât, convertit cor durum quò placet.* Similiter loquitur Estius in 2. diff. 25. §. 2. ubi tanquam verissimam & sincerissimam amplectitur eorum sententiam qui gratiam efficacem constituunt in gratuita ac benigna Dei operatione, qua propriè in libero hominis arbitrio operatur ipsam conversionem seu alium quemcumque actum vera pietatis, scilicet ipsum pietatis motum efficienter attingendo, hoc est voluntatem ipsam applicando & determinando ad volendum & eligendum.

Vident hinc Patres quod Thomistæ in hoc statu naturæ lapsæ non minorem efficaciam tribuant gratiæ, quam nos: adeòque nos saltem non magis posse culpari quam Thomistas: nisi fortè, quod ineptissimum est, dicant nos potius quam Thomistas culpandos esse, quod minorem efficaciam, etiam in hoc statu naturæ lapsæ, gratiæ concedamus, quam Thomistæ: & quamvis hoc modo ineptire vellent, non possent equidem; dum cum Thomistis admittimus Deo per suam omnipotentiam supernaturaliter, efficaciter & immediatè voluntatem, ut voluntas est, movente ad bonum, nullatenus libertatem lædi sed potius roborari.

Neque in hoc dissentimus à Majoribus nostris, qui ejusmodi efficaciam non uno loco tribuunt gratiæ naturæ lapsæ in sua Censura & Justificatione ejus.

Ex his omnibus clarum est, quod nonnisi errore crassissimo aut fide pessimâ nos potius quam Thomistæ possimus ob doctrinam de efficacia gratiæ in hoc statu naturæ lapsæ vocari in suspicionem hæresis.

Sed nec Thomistis posse imputari illam calumniam testari potest tota Ecclesia, quæ illos habet, prout sunt, viros verè Catholicos. Testantur Paulus V. Clemens VIII. Innoc. X. fatetur Annatus senex, consentiunt PP. Jesuitæ Lovanienses: ex quibus omnibus confirmamus hoc argumentum: Thomistæ non possunt vocari in suspicionem hæresis ob doctrinam suam de gratia per se efficaci; ergo neque Lovanienses. Antecedens ex dictis debet haberi certissimum, consequentia, ut rursus ex dictis patet, est omninò evidens. Utraque antecedens scilicet & consequentiam, vide latius probata in Thesi quarta Historico-theologica Collegæ nostri Exim. D. J. LIBERTI HENNEBEL, adversus quam Apologista noster non respondit; qui aliàs quamdiu aliquid vel apparens allegare potest, non solet tacere.

Ex his manifestum est, quod Patres non possint nos titulo doctrinæ nostræ de gratia per se efficaci de hæresi suspectos reddere, nisi errore crassissimo aut fide pessimâ, potissimum postquam

quam dubitare amplius non possunt, quin Censura Lovaniensis jussu Innocentii XI. fuerit examinata, atque ab asseffore S. Officii deputatis nostris intimatum doctrinam dictæ Censuræ posse teneri & doceri sine offensa S. Sedis.

§. 6.

Multitudo opinionum de sensu ab Authore intento mirè servit Molinistis, ut insistendo sententia sua de usu probabilium, nunc hos, nunc illos de hæresi accusent aut suspectos faciant, prout suis suorūque commodis magis utile est.

Nihil est familiarius probabilitatum patronis, quam nunc hanc, nunc illam, etiam priori oppositam sententiam probabilem ad praxim deducere, prout sibi aus suis magis favet: hinc certè, vel aliqua ratione politicâ, aut fortè ex utroque, factum videtur, quod Molinistæ quondam Thomistas omnes ob doctrinam de gratia efficaci in hæresis suspicionem adduxerint, ut fecerunt *Raynaudus* & *Annatus* adhuc juvenis. Aliquando cum Thomistis etiam Lovanienses, & omnes omninò defensores gratiæ per se efficaciæ, accusant; uti vidimus non ita pridem in *Thesibus P. DUFFY*, Molinistarum ad urbem deputati. Aliàs non Thomistas Italos, Hispanos, Gallos &c. sed solos Thomistas Belgas, cum aliis Belgis etiam defensoribus gratiæ per se efficaciæ traducunt. Nam in suo memoriali, Madriti Catholicæ suæ Majestati exhibito sic aiunt: *Multa sunt in Belgio Religionibus quæ à Iansenismo se intactas conservant: utinam idem de Pramonstratensibus S. Norberti affirmare liceret! nota est omnibus infectio majoris partis istiusmodi Monasteriorum instituti, quodaque illa ab ipsa hujus nova doctrina origine, eidem maximè inhaerint. Bonum ingens Religionibus S. Augustini & Dominici in dicta Patria precatur, qui eas omni spe promotionis ad strictam facultatem destitutas exoptat: hujus rei rationes supra deduximus his scilicet verbis utrique isti familiæ valde injuriosis: quia in istis duabus sacris familiis vix datur grandioris nota Theologus, qui ad strictam illam Facultatem vota non dirigat.... hinc provenit vix aliquem alicujus notæ virum in universo Belgio reperiri, qui se Anti-jansenistam profiteri auit. Capucinatorum Belgicorum Religio manifestè in duas factiones dividitur, unam Iansenistarum, quam juniores, alteram Anti-jansenistarum quam seniores constituunt. Nec ab hoc contagio ordo Carmelitarum discipulorum purus existit. Contagiosa hæc pestis maximè in clero seculari grassatur..... nec ullibi magis quam inter clericos Oratorii.*

Subinde, omissis Thomistis, solos Lovanienses suspectos reddunt. Alias ex Lovaniensibus unum alterumvè; sicuti ex Thomistis specialiter accusarunt *THOMAM LEMOS*. Ita nimirum expedit commodis ipsorum, ut alii uno, alii alio tempore, alii uno loco, alii alio loco sint de hæresi suspecti. Favet probabilitatis inventum, quia juxta sententiam *Annati* juvenis, adeoque probabilem (nam probus & doctus habebatur) omnes Thomistæ sunt condemnati in quinque propositionibus juxta sensum ab Authore intentum. Secundum sententiam rursus *Annati* juvenis, plurimumque aliorum Molinistarum, & fortassis omnium (quamquam id dicere non audeant) condemnati sunt veluti hæretici, aut saltem de hæresi suspecti, omnes defensores gratiæ per se efficaciæ, atque ita omnes Theologi Belgæ antè expressi: & quamvis etiam Itali, Hispani &c. accusari potuissent, tamen Molinistarum scopo (qui erat omnes illos à Collegio strictæ Facultatis Theologicæ Lovaniensis excludere) sufficiebat pro illa vice accusare solos Belgas.

Ex simili probabilitate & politica accusandi sunt subindè soli Lovanienses, quasi illi de gratiæ efficaciæ rigidiùs quam Thomistæ sentirent: subindè accusandi videntur Lovaniensium aliqui, quos præ cæteris ab aliquibus muniis volunt esse exclusos: aut Thomistarum aliquis, cujus scripta sibi magis sunt invisâ: non quod illi rigidiùs rursus de efficaciæ

cacia gratiæ sentiant , quam alii ; quos pro illa vice non accufant ; sed quia ipsorum authoritas Molinistis magis est nociua ; quos proinde expedit , veluti si singulariter de gratiæ efficaciam sentirent , speciali notâ afficere , etsi sciantur hac in parte præ aliis nil sentire.

Et his quidem modis non solum populo sed & viris Principibus imponitur , dum ob doctrinam de gratia per se efficaci , nunc hic , nunc ille , nunc plures , nunc pauciores titulo Jansenistæ velut hæretici traduntur , quod vel maximè faciunt hoc tempore , quo alia , quibus se sustentent , fulcra deficiunt.

Non miretur proinde Lector , quod Patres tanto molimine , per fas & nefas , nos trahere contentur ad suas tricas ac tergiversationes de sensu ab Authore intento , quando quidem hæc viâ pervenire valeant ad omnia quæ volunt.

§. 7.

Respondetur objectionibus , quibus Apologista contendit justè per tertium præliminare peti juramentum , cujus antè mentionem fecimus.

IN Concil. Chalcedonensi , inquit Apologista , Theodoretus iussus est Anathematizare Nestorium. Præterea mandato Leonis Papæ , Pelagiani adversus ipsum Pelagium profiteri coacti sunt , ut ait , decreta Synodalia , quæ Sedes Apostolica confirmavit ; ita quidem ut Pelagiani iussi fuerint etiam ipsos Authores errorum condemnare. Et hæc quidem allegantur , ut hinc probetur quod per præliminare tertium , non Concilium aliquod , aut summus Pontifex , vel Episcopus quispiam ; sed Prædicti Patres iure à nobis exigant juramentum de quo quæstio.

His respondeo : Quæ de Pelagianis dicuntur , nos omninò admittere : Quæ autem de Theodoro per ipsum Concilium coacto , nos hoc loco supponere potius velle , quam examinare. Quibus præmissis , dico eos , qui ejusmodi sive juramenta sive condemnationem adversus ipsas Personas exigebant , certos fuisse quis esset sensus doctrinæ , ob quem persona condemnabatur : In nostro verò casu Molinistæ , qui juramentum à nobis exigunt , ignorant quis sit sensus , ob quem quinque propositiones sint condemnatæ uti manifestum est ex §. 4. hujus Conclusionis.

Deindè qui adversus Nestorium & Pelagium juramentum præstare cogebantur , vel sciebant , vel ab iis , à quibus cogebantur , scire poterant , quis determinatè foret sensus istius doctrinæ : Nos verò nec scimus , nec à Molinistis scire possumus , quis determinatè sit ille quinque propositionum sensus , ob quem sunt condemnatæ.

Quæ de Concilio & Leone , professionem exigentibus , item quæ de Theodoro & Pelagianis juramentum præstituris diximus , ostendit etiam ipsa ratio , tam illa quæ se tenet ex parte exigentium , quam quæ se tenet ex parte jurantium.

Præter hæc , justissimæ fuerunt rationes , ob quas ejusmodi fidei professiones exigent subinde quædam Concilia ; prout etiam , ob quas à Pelagianis postularet Leo Papa : Nulla verò est , ob quam juramentum , de quo quæstio , à nobis extorqueant Patres , quod mox §. 8. ostendemus.

Denique Concilia & Pontifices habent authoritatem legitimam , ut subditos suos ad certam fidei professionem , dum subest justa ratio , adigant : Patribus verò deest ejusmodi authoritas , quare temerè usurpant potestatem sibi nullatenus competentem ; & majori temeritate sibi non obsequentes à sua communione excludere præsumunt ; imò istud quandam schismatis speciem præ se fert , prout §. ultimo latius sumus ostensuri.

§. 8. Nulla

Nulla est causa exigendi à nobis juramentum quale petunt Patres

Historia & ratio probant, non esse fidei quasdam professiones speciales exigendas à certis personis, nisi specialiter suspectis, vel quod speciali præcautione adversus illas opus sit: Jam verò nihil illorum locum habet in Lovaniensibus.

Primò quidem, quia doctrinam suam de Prædestinatione & gratia sponte obtulerunt Alexandro VII. Eandem sponte rursus sibi oblatam examinari jussit Innocentius XI. & peracto examine Deputatis nostris, qui tunc in urbe erant, ab Assessore S. Officii responsum est, dictæ Censuræ doctrinam sine S. Sedis offensâ à nobis teneri posse & doceri. Notorium verò est, quod non aliam ob causam, quam ob doctrinam nostram de Prædestinatione & gratia in Censura comprehensam possimus circa quinque Propositiones esse suspecti. Et ob hanc rationem juramentum, quod in tertio præliminari exigunt Patres, vel aliud brevius, quod Gallicanum vocant, minus nobis, quam Italis, Hispanis, Germanis, &c. injungendum est.

Secunda ratio est, quia evidens est quod circâ efficaciam gratiæ non possimus nos, saltem magis esse suspecti quam Thomistæ, qui in nulla orbis parte, solâ Galliâ exceptâ, quidpiam vel affine jurare compulsi sunt.

Tertiò, quia Lovanienses habent juramentum, quo abunde cavetur, ne in materia gratiæ teneant ullum sensum ab Ecclesia damnatum: nec refert, quod Apologista ausus fuerit dicere: *Non placet nobis formula juramenti, quam præscribit Facultas Theologica*, sufficit namque quod placere illis debeat. Debet verò illis placere, quando placet Summis Pontificibus. Nisi fortè isti Patres sibi audeant arrogare plus prudentiæ, vigilantîæ, circumspèctionis &c. quam competit Pontificibus Summis.

Schisma redolet, quod privati velint aliquos de hæresi suspectos reddere, & à sua communione excludere, quia ad ipsorum petitionem nolunt hoc illudve juramentum, veluti fidei professionem, præstare.

Indubitatum est quod Patres Jesuitæ, cum quibus nobis est quæstio, non sint nisi privatæ personæ: nihilominus audent illi nos, quod ex nupera Apologia patet, si non apertè hereticos, de heresi ad minus suspectos toti mundo proclamare.

Deindè profitentur in dicta Apologia & disputatione Theol. pro eadem, se nullam nobiscum velle habere communicationem.

Causam allegant, quod juramentum, in tertio præliminari ab illis præscriptum, præstare nolumus. *Si quis*, inquit in Apol. p. 5. *tergiversetur* (præstare scilicet juramentum ab ipsis præscriptum) *de illo jure meritissimo dicitur, ut dictum de Theodoro, ille Hæreticus est, ille Iansenianus est.* Et pag. 3. *ibid. hoc nisi factum fuerit, neque oppugnare libet quos proposuistis Articulis &c. neque ullam nobiscum habere COMMUNICATIONEM.* Insignis certè obedientia ergà constitutionem Innocentii XI.

His præmissis non difficulter ostenditur, quod, ut mitissimè loquamur, ejusmodi illorum dicta schisma redoleant.

Viximus semper in communione cum Pontificibus Romanis, etiam cum Alexandro VII. qui relicto Facultati Theologicæ juramento, quod ab ipsâ adhuc hodie exigitur, numquam eam adegit ad præstandum illud, quod à Patribus imponitur.

Vivimus

Vivimus etiamnum, quod toti mundo manifestum est, in communione cum SS. D. N. Innocentio XI. ad quem Facultas Theologica Lovaniensis nuper Deputatos suos (quorum unus Exim. Vir FRANCISCUS VAN VIANE) ablegavit eo successu, ut inter doctrinæ ejus Articulos, quos sponte S. Sedis examini subjecit, ne unus quidem post iteratam illorum discussionem sit proscriptus: Alterius verò partis ad Lovaniensium instantiam condemnati sint sexaginta & quinque.

Præter hæc, quod ad hanc rem maximè facit, doctrina de prædestinatione & gratiâ in Censura Lovaniensi tradita, judicata est *posse teneri & doceri sine offensa S. Sedis*. Post hæc Deputati nostri cum paterna benedictione à sua Sanctitate in pace sunt dimissi. In qua etiamnum manemus, & Deo dante æternum sumus mansuri.

Sumus etiam in communione cum Illustrissimo D. Archiepiscopo nostro Mechliniensi, cui doctrinæ nostræ Articulos libentissimè exhibuimus.

Porro ut nos cum Archi-episcopo nostro, ita ille cum Pontifice Rom. communionem fovet: nec alio fine Illustrissimus, noster Archiepiscopus voluit coram se institui Collationem super sententiis nos inter & Patres controversis, quam ut si ad concordiam ventum non fuisset, missis ad S. Sedem actis, ultima illinc expectaretur decisio.

Ex quibus omnibus facilè est colligere, quod sicut nos cum Archiepiscopo nostro & Pontifice Romano communionem habemus; ita quoque habeamus cum illis, cum quibus illi, id est, cum omnibus Episcopis orbis Catholici.

Necessum proindè est, ut qui se separant à communione nostrâ, separent se etiam à communione Archiepiscopi nostri, Pontificis Romani, & omnium Episcoporum Ecclesiæ Catholicæ.

Et specialiter necessarium est, ut qui idèd à sua communione nos exclusos volunt, quia ad ipsorum petitionem nolumus præstare juramentum in tertio præliminari ab ipsis præscriptum, eodem titulo suum quoque Archiepiscopum, quia præliminare istud cum reliquis rejiciendum statuit, à sua communione excludant. Maximè postquam dicti Patres Illustrissimo Domino nostro legem, cui non obedivit, posuere his verbis: *Hoc præstet Illustrissimus Archiepiscopus, vosque eò deducat, ut solemni illâ Præfatione fidei discernatis vos &c.*

E P I L O G V S.


Primâ harum Thesium Conclusionè scopum quatuor præliminarium per totidem §§. deteximus, ostendendo quodlibet illorum esse tale, ut, si illis satisfactum fuerit, si non, numquam eo venietur, ut, quod nimium horrent Patres, tradant doctrinæ suæ Articulos.

Secundâ Conclusionè ostendimus audaciam distorum Patrum, qui sine ulla autoritate ordinaria aut delegata præsumperunt nobis in tertio suo præliminari imponere juramentum, veluti fidei professionem, quale Pontificum aut Episcoporum nullus ulli nationi hæctenus imposuit; falsò persuadentes hominibus imperitis, quod, eo præstito, pax erit & concordia: quandoquidem adhuc permaebunt disputationes summi momenti de regula morum, de scopo humanæ vitæ, & cujuslibet actionis humanæ, item de administratione Sacramenti Pœnitentiæ. Deinde per præliminare tertium cogunt nos per viam contentiosissimam intrare in quæstiones de gratia, ante diem judicii per nos non finiendas: atque inter hæc errore crassissimo aut fide pessima Theologos Lovanienses de hæresi suspectos faciunt, quâ in re mire illis servit inventum suum de usu probabilium, suæque politica, uno tempore hos, alio istos, hic quosdam, alibi alios, nunc plures nunc pauciores de hæresi accusando. Idque per argumenta nullius ponderis; & in præsentem quidem eo titulo nos accusant, quia nolumus præstare antedictum juramentum, cum sine ulla causa justa à Patribus petatur, quo non obitante per Apologistam suum palam profitentur, se ultra nolle habere communionem nobiscum, qui tamen cum Sede Apostolica, Archiepiscopo nostro, & omnibus Episcopis Catholicis communionem habemus & fovemus.

Colligat hinc Lector quâ fide isti Patres pergant mundo persuadere, quod sincerè velint desideratam collationem instituire, modò illorum præliminariis, & præcipuè tertio, satisfactum fuerit.

F I N I S.





Theles
Doctorū
Academiae
Lovan.

Th

2170